Observationum anatomicarum decas. Additae sunt epistolae. Quibus singularia scitu digna, lactearum nempe thoracicarum, & vasorum lymphaticorum natura, embryonisque per os nutritio ... exponuntur / [Johann Daniel Horstius].

Contributors

Horst, Johann Daniel, 1616-1685.

Publication/Creation

Francofurti : Apud Wilhelmum Serlinum & Georgium Fickwirthum, 1656.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/yxz233cf

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

19

JO. DANIELIS HORSTII
OBSERVATIONUM ANATOMICARUM
Decas.

Additæ sunt

EPISTOLÆ, QVIBVS SINGVLARIA SCITU digna, Lactearum nempe Thoracicarum, & Vasorum Lymphaticorum natura, Embryonisq; per os nutritio, atque alia rariora exponuntur.

FRANCOFVRTI,
Apud VVilhelmum Serlinum & Georgium Fickwirthum.

ANNO M DC LVI.

Obſervatio Anatomica
I.
De Abſceſſu Cerebri.

FRacturas in genere non tractabo jam, quod multorum aliàs fuit argumentum, & primi quidem quod ſciam Medicorum Atavi, Hippocratis Divi. Galenus operæ duxit eam operam reſumi, eamque etiam optime executus eſt, quem ſecuti deinde innumeri alii, ac noviſſime quidem poſt *Fabritium ab Aquapend.* Germanorum noſtrorum Galenus, *Sennertus*, inquam, noſter, Vir de Republica Aſclepiadea quam optimè optimorum Virorum decreto meritus. *Fracturam Cranii in ſpecie* hac ſaltem ice delibabo, dum, ſic exigente officio meo, certi cujusdam ſubjecti ectionem inſtituere cogor.

Cranii inquam, cujus *varias fracturas* latius aliàs videre licet apud *elſum, Æginetam, Gentilem, Arantium, Botallum, Langium, Iacetium, Vid. idium, Fallopium, Nic. Florentinum, P. Pavium, Am. Luſitanum, Paræum, Variolam, Spererium, Fab. Hildanum, I. And. de Cruce, Braſſavolam, Nic. Maſſ. rcœum, Nicol. Fontanum, Berengarium, Petræum* noſtrum, noſtrumque *enitorem* p. m. *Greg. Horſtium*, atque primo limine citatos *Hippocratem, alenum, Fabrit.* & *Sennertum*. Noſter verò caſus, cujus gratiâ hæc quaa qual a inſtituuntur, talis eſt.

Michael Sneider Sarnavienſis, *ruſticus cœlebs annorum* 30. *ſanus & ni habitus, ebrius à compotatoribus ejusdem farinæ ſociis aliquot vulnera* in ccipite & vertice *ad* calvariam *usq; accipit, poſtquam prius verberibus iiem commilitones atrociter totum ipſius caput, nucham & ſiniſtram axillam ccepiſſent*. Vulneratus primâ *quidem* veſperâ *vulnera Chirurgo noſtro ſortiſſimo* Erico Braunio *liganda commiſerat*, ſequentibus *verò* diebus *ope eſcio* quarum herbarum conſolidantium, *ſpreto & vale dicto* Chirurgo

ad cicatricem ferè ea perduxerat, cum nonâ *à vulnere* die febris *&* scotomia *supervenit, &* decimâ quartâ *sinistri brachii ac cruris* resolutio: *quibus præsentibus* Chirurgum *denuo in auxilium & consilium vocat.* Chirurgus *necessariis adhibitis nil proficiens* die 21. *rem ad me defert, quâ penficulatius examinatâ, & cum* Collegis *communicatâ,* Trepanum *adhibendum duxi.* Divino *igitur auxilio implorato, &* cute *die eâdem* 21. *per* chiasmum *sectâ, die seq.* 22. Cranii perforationem, *non obstante tum* Plenilunio, *modiolo ἀξονίσκῳ præsentibus & annuentibus Excell. Colleg. & Medic.* D.D. Filemanno, D. Erico Dexbach, *Chirurgo* Braunio, *& aliquot* Medicinæ studiosis, *institui, præmisso prius* clystere, capitisque convenienti inunctione. *Exsecto osse* testuceæ *menyngi incumbentes sublatæ sunt, &* membranæ ipsi mellrosaceum *impositum est.* Os *verò tectum fuit* linamentis *siccis mollissimis, cum* pulvere cephalico, *totoq; curationis tempore tam quoad* externa *quam* interna *nil intermissum fuit, quod ipsa fractura Cranii aliàs requirit.* Septimâ *die* lethargico sopore *captus* dextri oculi & oris occlusionem ebrasque vomitiones *patiebatur*; sequentibus *verò melius habuit emanante per foramen* pure fœtido, *pauxillo* tamen, *ac* nonâ *quidem* pedē movere cepit, *recurrente tamen* 14. *die* sopore, *emanentibus autem* vomitibus, venis *verò* frontis arteriisque *elatis ac turgentibus.* Decimâ quintâ *nulla nec ad pejus nec ad melius mutatio secuta.* Decimâ *verò* sextâ *& seqq.* Scotomia *major facta, accedentibus* oculorū convulsionibus & distorsionibus, *adeò ut* vigesimâ quartâ (quæ erat 14. Novembr.) *horâ* 4. *pomerid sine tamen accessione aliorum symptomatum animam exhalarit.* Sectione *post mortem institutâ,* sanies *inventa est purulenta in ipsa Cerebri substantia in dextra occipitis parte* pelliculâ *instar abscessus contenta, unciarum quatuor. Ipsum* Cranium *plurimis contusionibus contortum, Matris verò duræ* venulæ *subfusco sanguine instar picis distentæ,* hæcque ipsa *&* pia menynx *discolores,* illaque *à contusionibus læsa, erant. Saniei autem supra dictæ* globulus *alius purulentus vasculo carneo inclusus proximè adhærebat, ut mirum non sit quod mortuus fuerit, mirum tamen sit quod tam diu sine gravioribus symptomatibus* delirio potissimum *supervixerit.*

De *Tempore* vero, *quando sit aperiendum Cranium, quo morbi die, & sub qua cœli constitutione,* non convenit inter authores. Cum *Celso* plurimi ultra quartum diem trepanum haut differendum putant; alii contra cum *Mercato* omnino differendum putant, quod sub initium materiæ

ria non sit fluida, ac menynges *p.n.* sint inflatæ nimis, uti aliàs in *Plenilunio s.n.* esse solent. Nos verò uti ex dictis patet *die* 22. adhibuimus trepanum, ac Lunâ quidem turgidâ. *Vtilis est Astrologia* Medico, sed non necessaria semper; uti enim sub quovis cœli statu purgandum quandoq; corpus venit, ita etiam vena sæpius secãda, Cranium aperiendũ, ferrum & ignis adhibenda sub quovis cœli statu, si scil. *electitium tempus* non detur, si morbus non ferat moras. Utilis inquam est *Astrologia*. Astrorum enim in hæc inferiora magnus influxus quotidie observatur. Si verò ut dixi tempus *electitium* non detur, sub cane sæpè purgandum; in ipso plenilunio sæpè cranium aperiendum; hac tamen cautelâ, ut arte evitentur incommoda, quæ alias inde evenire docet ipsus noster *Hippocrates*, quæque omnium optimè discere poteris ex *Moussino*. Nostrum igitur erit, potius instar *Guidonis Brocensis*, brumali tempore trium horarum spacio plantas instrumento Solis loco operante, producentis; obstantibus & maleficis sideribus, calori & frigori peccanti inde emananti, corporisque nostri adversitatibus & incommodis insequentibus obviam ire; quàm ægro remedia subtrahere ad benigniores remotos & distantes Planetarum aspectus, frigidiorem aut calidiorem aëris clementiam, Lunæque deliquium; præ quibus sæpe moriendum esset ipsi ægro.

De ipso autem *Trepano* non tantum dubitant multi, *an tutò adhibeatur*, sed & sunt qui omninò id rejiciant, dum statuunt, *quamvis Cranii fracturam sine trepano, sine cranii apertione curari posse*. Non diffiteor absque *Cranii perforatione* multas fracturas Cranii præsertim hyberno tempore & apud nos *Germanos*, quibus non ita lethales ut *Neapolitanis*, *Bononiensibus* & *Florentinis* accidunt, curari posse; uti etiam non ita pridem *Consultissimus quidam Vir*, *Amicus noster Honoratissimus* solâ *enematum*, *Venarum sectionum* &c. adhibitione, *ita suadente mecum* Dn. Collegâ *D. Tilemanno*, feliciter hic curatus est; *Imò* si ita in initio statim tractatus fuisset *noster demortuus vulneratus*, & illius accidentia *Deo Volente* annon præcaveri potuissent? *Multas* autem Cranii fracturas absque perforatione curari *sæpe* posse, notanter dixi, non *omnes*, nec *semper*; uti alias statuunt antiqui *Hebræi*, & *Vgo Lucanus*, atque *Theodoricus* aliique; quorum *alii internis* vulnerariis potionibus id fieri posse profitentur, *alii* verò *extrinseca* medicamenta commendant, *spreto & rejecto*

trepano. Ast *sæpè in Cranii fracturis non potest removeri materia exiccanda* (loquor verbis Galeni) *nisi apertio fiat ob defectum scil. ligaturarum:* præsertim si ῥωγμὴ accidat internæ laminæ salvâ manente externâ quâ de *V.Fallop.lib.Hipp.vuln.c.*13. aut ξυμφοεῇ; *quamobrem tunc Chirurgus* (Avenzoaris) *adhibendus, ossique* (Avicennæ) *particula circa fissuras eximenda, ut virus* (Averrois) *egrediatur per viam liberam osse scil.amoto.* *Multæ* igitur fracturæ cranii curari possunt & *sæpè* sine apertione; si simplex φλάσις contingat, si ῥωγμὴ tanta sit ut materia exire possit. Sed non *omnes*, ut notavi jam antea, nec *semper*, quemadmodum ante quinquennium *Doctor quidam Iuris* apud nos nullis medicamentis *externis* aut *internis* menti & sanitati restitui potuit, qui tamen *trepano adhibito* salvus evasit: uti etiam *Nobilem* ante sexennium Gissæ feliciter à *me* & *Greilachio* curatum recordor.

Quando verò adhibendum trepanum? quando rejiciendum? Si certò constet *cranium non depressum nec ita fractum esse, ut cerebrum inde lædatur, sique saniei tam exigua quantitas sit, tantumque naturæ robur, ut medicamentis absumi & dissipari facilè possit, & contrarii certa symptomata desint*, trepano non opus est. Sæpe enim à *contusione* cranium ipsum non læditur, sed *nervus* (quem casum proponit Hippoc. 58. *aphor.*5.) aut *vena*, è qua effusus *sanguis* in ipsa *cerebri substantia* putrescit sæpè & mortem infert, uti *nostro ægro* accidit, & *Herculi de Marschottis* apud Ber. *Aliquando evenit* (inquit Celsus) *ut os quidem totum integrum maneat, intus verò ex ictu aliqua vena rupta aliquid sanguinis mittat, qui concoctus dolores infert oculosque obcœcat.* Quo in casu summè conducit *Phlebotomia* & *clysterum* usus, uti quàm optimè scribit & describit *Rases* ex Galeno, *lib.*1 *Contin.* *Præmisso autem clystere* secundùm Haly l. 5. theor. cap. 10. *phlebotomia primâ hora fiat*, inculcante Paulo, *ac ex cephalica quidem* docente Avicenna cap. de cura sodæ.

Quemadmodum enim *clysteres attrahunt materiam* (loquor verbis Serapionis) *ad partem contrariam parti ægritudinis, ita & phlebotomia causam apostematum* (Avicennæ) *abscindit, quæ aliàs sæpius* (Dini) *ex fluxu sanguinis oriri* solent. Sæpè etiam *interna purgantia* exhibentur, si temperamentum phlegmaticum sit & frigidum, corpusque robustum sine febri. Quo ad *localia* commendatur emplastrum *Andromachi, M.Anselmi de Ianua*, Unguentum de *Matrisilva* Argelati, de *Centaureo* Guidonis, de

beto-

betonica Henrici Bertapaliæ *gratia Dei* dictum, *Emplastrum* Conciliatoris, Berengarii. Variæ item *aquæ vitæ* usurpantur, de quibus consule citatos authores. *Potiones* autem *vulnerarias* commendat allegatus *Theodoricus l.2.chir.c.3.*

Si verò id non certò constet, & *accedant accidentia mala* incisio instituenda. Cùm etiam fracto Cranio facilè festucæ & frustula membranas lædant, ac in ipso fissuræ loco enata humiditas in saniem abeat & ad membranas destillet, unde communiter interire solent, qui à capitis vulnerib. moriuntur; maturè cranium aperiẽdum, ut *sanies* exire possit, ut *festucæ* &c. res *c.n.* removeantur, quarum præsentiã febris, vertigo tenebricosa, scotomia, dolores acuti, vomitiones, sopor, torpor, paralysis, delirium & epilepsia; nunc *conjunctim* nunc *sigillatim*, pro alia atque alia vulneris, subjecti, loci & aëris constitutione, indicare solent. *Febris* si accidat post 7. eo scil. tempore quo terminari debebat, concurrentibus simul iis quibus *noster* vexabatur, *putredinis* in *Cerebro*, *menyngibus* aut *Cranio* certum fit indicium vel *Hippocratis* decreto, ob quam etiam potissimum & nos apertionem moliti sumus.

Idem autem ferè nobis evenit in nostro ægro, quod *Glandorpio* in Bremensi pugili, alio tamen ac diverso successu. Cum pugili illi graviter in capite vulnerato tertia die gravia symptomata supervenirent, & *Glandorpius* suspicaretur materiam intra cranium collectam esse, cranium aperuit. Cùm verò nihil effluereret per foramen, *duram* quoque *menyngem* (*de hujus* vulneribus lege *Io. Andr. à Cruce*, *Matthiolum* & *Paræum*) in tumorem elatam scalpello incurvato aperuit, quæ saniei intra duram & pam matrem contentæ maximam copiam emisit, quâ ipsâ hoc modo evacuatâ & adhibibitis simul necessariis aliis æger sanitatem pristinam recuperavit. *Ita* etiam in *nostro ægro* exigua portio saniei per foramen exivit, ut non potuerimus non existimare, *intra tunicam* aut *ipsam Cerebri substantiam* anguem latitare.

Ipsa quidem apertio in *decliviori* parte, uti par est, *lateris dextri*, juxta *suturam lambdoidem* facta est. In *decliviori* inquam, non in *inferiori*, cui loco os subtrahere maximum periculum pronunciat *Nicolus*. *Berengarius* vero contrarium aliquoties se vidisse probat, *Principis*, & *Pauli Vngari* exemplo. Nec etiam *magnum* foramen factum est, uti alias in *vertice* fieri solet, adhibitaque sunt, tum *interna* tum *externa* medicamen-

menta præstantissima, *diæta* simul convenientissima accuratè observatâ.

Maximâ autem admiratione dignum est, quod *omnis delirij speciei* expers fuerit, & quod *tam longissimum tempus* vitæ natura dederit 46. scil. dies? *An* quod substantia saltem læsa fuerit non spiritus, non ipsi nervi? *Et* quod ægri quandoque al quot menses supervivant etiam ipsis menyngibus læsis? *testante* P. Paw *lib. Hipp. de vulner.* etiam sine delirio *referente* Vallesio *com. in l.* 5. *Epidem.*

Antiqui non credebant *Cerebrum inflammari* posse; at hic casus eos refutat; refutat etiam *Galenus* 2. *de caus. sympt. c. ult. Paulus l.* 3. *Avicenna* 3. *l. Petrus Salius Diversus c.* 1. *de aff. part.* & *alij Doctores* quorum tamen plerque *delirium* adfuisse testantur.

Sed nec in *membranarum*, nec in *ipsius Cerebri* inflammatione semper adest *delirium.* Illud olim probavit *Nerei* filia (Hippocr. 5. *epid.* 47.) ut & *æger* in Dealcis horto decumbens (*l.* 3. *s.* 1. *ægrot.* 3.) Quod vero ipsius *Cerebri inflammationem* spectat, ea quandoque non *delirium*, sed *sensuum obliterationem* tremulas, obscuras & detrectabiles desipientias, *ex* 1. *Prorrhet.* 33. periculosiores tumultuariis, infert, si scil. non ipsi *nervi*, nec ipsi *spiritus* consequenter afficiantur.

Id verò maxime mirum est quod amicus noster refert Excell. *Fontanus*, se vidisse puerum in quo cerebrum deletum fuerit, *respons. & Curat. medic. l.* 1. *p.* 16. qui aliquomodo rationis manserit particeps. *Epit. Vesal. annot. p.* 28. *&* 29. cum tamen aliqui quorum leviter est læsum Cerebrum delirent graviter, *uti* ipse expertus in *puero duodecenni, pag.* 3. *Analect.*

Illorum (ita absentiam delirii in puero cerebro destituto excusat Amicus) *postquam ad ætatem provecti sunt, vitiata organa refici non possunt, nec aliud quidpiam commodè effici, quod læsi organi munere fungatur. Hic verò cui statim ab initio ortus, vel ante, ab infusa anima vitiatum est organum, potuit naturali vi in tam flexibili mollique materia aliud insolitum organum efficere, quod supplere valet defectum organi vel læsi vel absentis. Hoc fuit ut testabuntur præsentes Medici membrana illa duplo crassior ordinariis, quæ sensibus subministrabat spiritus vitales, & animæ etiam rationali suas instrumentaliter subjiciebat intelligibiles species.*

Ast hoc non solvit nostrum dubium, non inquam satisfacit *Hipp. aphor.*

aphor. 50. *s.* 7. Imò non ausim dicere puerum illum cerebro caruisse. Et si enim non habuerit massam aliquam albam instar intestinorum convolutam, habuit tamen membranam duplo crassiorem cerebri loco positam, quæ vulnerata vel siderata facilè delirium peperisset, & mortem ipsam accelerasset.

Ut dixi, *non semper læsum cerebrum sequitur delirium, nec semper ipsa mors necessariò tertio scil. die:* nisi cerebrum *syderatum* sit. *Syderatum* autem est me judice, si ita læsum aut vulneratum & inflammatum est, ut spirituum animalium tam fixorum quam mobilium constitutio præternaturalis fiat; ut illi ipsi spiritus tum fixi, tum mobiles non sint temperati, tenues, puri, lucidi & ordinati, nec certo quodam ac regulari modo moveantur. Et hæc dicta de hoc casu sunto.

Observatio Anatomica II.

Cùm in vicino oppido Reinheimb opulenti civis Philippi Reimichii uxor, concivis egeni Pleneri conjugem ultimo mense gravidam, non tantum diris jurgiis prosequeretur, sed & dextræ parti capitis, ipso tum ardente Syrio, colaphum impingeret, editus paulo post infans in ea ipsa, qua mater concussa erat parte continui solutionem passus est, uti notarunt præter obstetricem adstantes, & Pastor baptisacionis gratiâ vocatus.

Re itaque per Pastorem loci, Virum quà vitam, quà eruditionem Præstantissimum, ad me delatâ, misertus pauperculæ ocyus illuc concessi, atque deprehendi continui solutionem ad ipsum cerebrum penetrare, portionemque ipsius cranii fractam, jam putredinem concepisse. Licet autem externa & interna roborantia fuerint nocturna diurnaque manu exhibita, putrida etiam portio cranii excta, multaque fœtida purulenta materia excreta, brevi tamen infans demortuus sequentia notanda dedit. Venulæ fuerunt turgidæ, ventriculi cerebri aqua repleti, cerebri substantia flaccida. Inter cerebrum & meninges aderat collectio materiæ purulentæ & fœtidæ. Cætera naturæ ordine habentia & naturalia.

Quærebatur à Magistratu an Reimichii uxor alteram verberans fuerit causa hujus mali? Ego quod sic, cum à minis partium conformatio non solum vitiari possit in fœtu teste Gemma Cosmocr. l. 1. c. 6. qui narrat infanti eadem calvariæ parte, cui in Matre acies minitabatur, magnam continuitatis divortium apparuisse: sed & multo magis à plagis ipsis teste Genitore, qui narrat l. 1. p. 2. obs. 34. embryoni ob matrem in ventre graviter offensam epar extra umbilicum procidisse. Cum facilè imaginationi sit formationem mutare etiam in ultimis gestationis mensibus, teste Sennerto pag. 321. l. 4. part. 2. s. 4. c. 7.

Quomodo vero hoc fiat, id citatus Sennertus, Parensque noster *de causa similit. & dissimil. in fœtu* exponunt, qui consulendi, ut & Zacutus lib. 3. histor. Princip. Non autem tantum in Microcosmo videmus plasticam sæpè lædi & defectu atque excessu quandoque peccare, sed & Macrocosmum eidem juri subjectum non rarò notamus. Ita pluviæ quandoque cruentæ destillant. Ita in succino sæpe varia animalcula & alia apparent, formæ muscarum, culicum, aranearum, papilionum, ranarum, lacertorum, straminis: uti testantur qui in Borussia ad littora Insulæ Sudaviæ id colligunt. Multi quidem putant succino adhuc liquido illa animalcula involvi & insinuari. Sed alii, cum omnia pellucida sint, id negant, docentes, quod ex sola Cœli imaginatione imprimatur tale quid subjecto succino, uti in Microcosmo sæpè varia vis plastica fœtui inducit. In Comitatu Mansfeldensi mineræ eruuntur, quæ pisces, dentes, cornua, animalia & alia exprimant. Juxta sylvam Semanam ad radicem Arcis Brunsuicensis Schartzfeld vidi erui ossa, dentes, mandibulas varias, Ursarum, Leonum, hominum & aliorum animantium æmulas. Varia talia fossilia possideo in Musæo meo, & inter alia cranium futuris apprime distinctum. Sennertus allegat similia Eilingrodæ inveniri. Est Clarissimo Dn. Conerdingio, Archiatro Brunsuicensi Excellentissimo, spina dorsi, in saxo reperta, affabrè vertebris & spinosis processibus instructa, admiratione longè dignissima. Id vero magis mirum, quod Bolducius p. 715. narrat, bufonem in medio saxi dum secaretur inventum apud Augustodunum, & in Latio Martino V. Pontifice. serpentem in media petra dum scinderetur repert. esse. Ita vis plastica non raro aberrat & ludit in Macrocosmo, uti in homine & brutis se admirandam sæpe præbet, maximè exemplo La-

zari

zari illius Genuensis, cujus ex ventre pendulum erat corpus nominis Johannis, quale exemplum olim Lycosthenes vidit Basileæ. In Sabaudia quoque 1519. natus est alius infans ex cujus ventre etiam corpus pendebat cum pedibus, sine tamen capite & brachio. Leporem Ulmæ captum recordor duplicatum quasi, octo pedibus instructum, ac si par leporum dorsis esset conglutinatum. Act. de his pluribus in Phys.

Observatio Anatomica III.

IN Anatomia Serenissimi Principis Apoplectici, J. H. L. cui præfuit D. Bunccius, 4. Aprilis 1652. observata sunt sequentia. Cutis per universum corpus ab humoribus serosis distenta. Epidermis separatu facilis, vesicis multis prægnans & turgida. Musculi lividi & nigricantes. Abdomen totum flatibus tumidum. Ventriculus laxatus extenuatus & extensus in tantum, ut nullum extiterit fibrarum vestigium, tunicarumve discrimen. Orificium superius flaccidum plane, ob quas causas tantam nauseam & vomitus Augustus Heros passus est. Epar coloris plumbei, totumque ichorosum. Vesicula bilis grandior unciis duabus bilis referta. Lien atro carbone nigrior, & durus plus justo. Cor minus, atque coloris fusci. Arteria venosa & Aorta nigro humore (qualem Princeps in lingua & faucibus per aliquot tempus magna cum difficultate habuerat) repleta. Pulmones flaccidi & purulenti. Cerebrum magnum & grande sero & pituita plusquam refertum maxime in ventriculis.

De nigra illa materia atramento non absimili sutorio, quæritur unde oriunda? Ego lienis fœces judico, à quibus non raro vomitus atros expertus sum.

Obſervatio Anatomica IV.

ANatomia Illuſtriſſimæ Catharinæ Eliſabethæ, N.D. Principis Pueſlæ, XXVI. Menſium, Junii XVII. die, Anni 1641. defunctæ, ſequens fuit. Ventriculus & inteſtina muco & vermibus ſcatebant. Epar magnum & floridum unius libræ. Splen benè habebat. Renes naturales grandiores tamen, unciarum nempe quatuor. Pulmo cavernulis penitus quaſi cavatus. Cor nigro ſanguine repletum, Cerebrum autem copioſiſſimo ſero. Circa os ethmoides vero aderant vermiculi & mucus. Patet hinc falli Sebaſtianum Scarabricium in hiſt. Ignis febr. pag. 511. dum in viventibus negat vermes generari poſſe niſi in inteſtinis ſolis. E naribus prodeuntes viderunt inter alios Benivenius & Cruccius, ex oculis Amatus, ex auribus Schenkius, in capite Bartholinus. Confer ſi placet Manud. ad Med.

Obſervatio Anatomica V.

ANno 1644. Decembr. die XX. Nobiliſſima Matrona quinto menſe gravida, poſt fluxum triduanum uteri cruentum, abortum patitur, atque fœtum rejicit maſculum, quoad omnes partes perfectum quidem, quantitate tamen deplumatum turdum vix æquantem, exiccumq; & aridum. Vaſa umbilicalia erant inſtar filorum communium uſualium, collo circumvoluta & quaſi alligata; non tamen brevia, uti duplici exemplo exponit Hildanus: nec diſrupta, uti alias Bauhinus notavit. In diſſectione notabantur partes ſingulæ diſcretæ, hepar albicans & exuccum, cor pallidum, vaſa umbilicalia ſicca. Sub noctem ſecundina prodit putrida & fætida. Cauſam hujus abortus retulerim ego in exilitatem & tenuitatem vaſorum umbilicalium cum Sennerto

pag.

pag.464.l.4. part.2. sect.6. cap.2. de Abort. ubi similem propemodum narrat historiam. Quænam autem causa (inquit) vitii hujus vasorum umbilicalium fuerit, invenire difficile est. An debilitas uteri post primum partum laboriosum contracta in causa fuerit, ut semina non rectè misceri, & ignobiliores partes & inter eas vasa umbilicalia, non rectè conformari potuerint, sed exilia tenuia atque infirma remanserint, quæ postea accedentibus vomitibus enormibus quibus prægnans semper insigniter infestata fuit, facilè abrumpi potuerint: An vero quia semen virile quidem, idque satis potens adfuit, & ex eo partes spermaticæ nobiliores formatæ sunt, fœmineum vero semen, ex quo imprimis, aut certè ex eo præcipuè cum masculino mixto, ignobiliores partes, ligamenta & vasa etiam umbilicalia formantur, ob callum vasi ejaculatorio fundi uteri inserto, ob partum laboriosum defuerit, vel paucum adfuerit: atque ita ob seminis fœminini defectum vel paucitatem, vasa umbilicalia perfici non potuerint & tenuia & exilia remanserint, penes lectorem sit judicium.

Hæc non incommodè quadrant in nostrum quoque casum. Abortum enim nostrum partus quoque difficilis præcesserat, quo filius in lucem edebatur (adhuc superstes LUDOVICUS) tam exilis & debilis, ut de ipso actum arbitrarentur adstantes, clysteribus inter alia maximè refocillatus.

Observatio Anatomica VI.

CORpus defuncti Generosissimi Militiæ Ducis Generalis, Jacobi Ramsayi, Scoti, ante annos XVI. 19. Junii à me apertum sequentia notanda dedit. In musculis observabantur ὑποφάγματα & Ecchymomata tot & tanta, ut majores musculi plerique putridi fuerint, maxime oblique ascendentes & transversi in sinistro latere. Peritonæum in eodem latere nigricans & putridum conspicebatur. Vasa Mesenterica crassâ materiâ biliosâ turgebant. Ventriculus cum intestinis modicum aquæ continebat. Hepatis verò color quoad concavam par-

tem nigricans & cinereus, quoad externam flavescens: substantia autem schirrhosa erat. Renum loco portionem pinguem quasi; Lienis vero loco ovi gallinacei quantitate nigrum fructum, sanguinis coagulati facie, inveniebamus. Cavitas circa vesicam abdominis aqua repleta erat, ut & scrotum circa sinistrum testiculum potissimum dextro longè minorem. Vasa testiculorum varicum modo consistebant. Dextri testiculi substantia spongiosa & putrida, tunicæque adnata erat in dextra Scroti parte caro adiposa. Pulmones copiosè pus dabant. In cerebro nil poteramus p.n. aut notabile notare, præterquàm magnitudinem ingentem omnino. Omnes vero venæ destitutæ ferè erant sanguine, referitæ sero.

Verba hæc sunt Clariss. Franc. Sylvii, Medici Excell. qui primus Vulnerato adfuit.

Occasio Morbi & Mortis talis fuit. Accepit Nobilissimus Ramsæus XIII. Februar. 1638. (inclinato parum antrorsum corpore) in sinistræ natis partem superiorem & externam introrsum & deorsum leviter tendens vulnus ex quo statim concidit, cum insistendi illi cruri impotentia, necdum remittente. Effluxit ex hoc vulnere & quidem statim in principio, satis copiosè sanguis: nullo notabili ex ustione (quæ utpote levis admodum 5. die remisit) labiorum vulneris adjacentiumve partium tumore aut inflammatione suborta, sed generato paulo post laudabili, licet pauco pure: unde confestim ad cicatricem properavit vulnus, quod 25. Martii planè occlusum quamvis etiamnum lividum sit, & doloris particeps.

Primis diebus obortus est, adhuc durans, etiam auctus, circa lumborum inferiorem & sacri, imo totius Ischii ossis sinistri regionem dolor vehemens, per intervalla maximè ad aëris mutationem, nunc remissior, nunc intensior, cum tensione & sursum per totum spinæ dorsi ductum ad cervicem, deorsum vero ad extremos articulos usque tractione convulsiva, eaque valdè molesta, ad oleorum tamen nephriticorum inunctionem aliquo modo emendata, licet sæpius recurrente.

Huic comes factus est sinistri cruris dimidiam & externam partem infestans, & contactum pati nescius, atque cum stupore aliquo formicans dolor ad articulorum extremitatem protensus.

Die Martii XII. obortus est circa sinistrum pedium & in metapedio, in parte exteriori maximè tumor expansus, cum dolore mediocri

ad

ad contactum tamen ingravescente, qui applicatis à Chirurgo ad utrumque malleolum vesicatoriis & effusa aqua citrina, intra triduum subsedit & evanuit; relicto ad hoc tempus ibidem dolore.

His accessit circa Martii diem XXII. sinistri testiculi cum tumore & summo dolore inflammatio, quæ tamen nunc magnam partem sublata, remanente solum levi duritie, rubore & dolore.

Circa idem tempus emisit urinam albicantem cum simili sedimento, eoque crasso, tenaci & pauco.

Percipit præterea, ad internam sinistri femoris inflexionem, prope illum locum quo fertur in Scrotum spermaticis vasis dicata peritonæi productio, dolorem satis molestum: nullo adhuc, nec hic nec alibi apparente tactui, multo minus visui tumore aut stabili saltem rubore.

Quibus tandem adde miram quandam, quamque exprimere nequit, in abdomine temporibus incertis divexantem molestiam, & talem quidem, quæ nec proprium ferat contactum.

Re itaque deliberatâ cum Excell. Dn. D. Fausio, Elector. Palat. moderno Archiatro Meritissimo, licet dictus Nob. Dn. Sylvius, & post eum Cl. D. Georgius Moltherus non intermiserint omnem lapidem movere pro salute recuperanda: tumor vero in scroto indies augeretur, atque ecchymata insuper partes non tantum externas, sed & fauces, linguam & palatum occuparent, doloresque dorsi magis magisque urgerent, meum quoque consilium expetiit.

Vocatus deprehendo Herniam, non ventosam ob defectum flatuum: nec simplicem aquosam, quia scrotum nec lucidum, nec aqua turgidum: nec carnosam simplicem ob dolorem: nec simplicem varicosam ob nimium tumorem: sed herniam ex aquosa, carnosa & varicosa conflatam. Aquosam quidem inculcat tumor instar ovi oblongus cum testiculi occultatione quoad tactum & visum.

Accedit & hoc quod sinistro lateri aquosæ herniæ valdè sint familiares, quod nempe vena spermatica sinistra oriatur ab emulgente. Carnosæ vulnus ad sinistræ natis partem superiorem vergens ansam dare potuit & causam. Generatur enim hæc hernia ex sanguine testes & scrotum obruente ibique in molem carneam mutato: cui affluxui vulnus potuit, ut dixi, ansam dare, ut non solum in principio statim Testiculi sinistri inflammatio sed & dolor secutus fuerit. Suppetias fert sanguis

guis adustus melancholicus à vitio lienis oriundus: Renisque sinistri debilitas. Varicosam monstrat dolor, qui exacerbatur in distensione vasorum spermaticorum, unde erectionem penis cruciatus intensissimi comitantur.

Præter Herniam hanc noto quoque Ecchymomata supra jam tacta, ad quorum aspectum memoriam meam non poteram non excitare ad illa, quæ Parens meus exhibet part. II. observ. l. 4. obs. X. Ast verebar non critica esse in Ramsæo, uti fuerunt in puello epileptico & sexagenario Arthritico. Suspicabar à debilitate viscerum sanguinem adustum ex venis per subsultum quasi effundi in musculos.

Suasor fui ut I. materia adusta Tartarea in hypochondriis incuneata præpararetur & evacuaretur, ut II. renes & sinister maxime ab heterogeneis, viscidisq; puri non absimilibus humoribus excrementitiis liberaretur, ut III. viscera singula concoctionis firmarentur, atque IV. herniæ quoque & V. ecchymomatis prospiceretur.

Præter ulla autem quibus hactenus usus quoad I. suasi per octiduum usum Mellicrati A. cum laxativa potione coronidis loco sumenda, B. & post hæc mane pulvisculi C. portionem, cum aqua D. Quoad II. scopum pilulas de Terebinth. E. cum syrupo F. non neglecto Unguento G. & Emplastro H. Quoad III. Electuarium I. Quoad IV. fomentum K. Cataplasma L. & Linimentum M. cum Cerato N. Quoad V. intermedios sudores. Diætam imperavi convenientem & debitam.

Ast omnia in cassum. Captivitatis diuturnæ plusquam satur ira & inedia voluntaria omnē mihi spem abscindens seq. Mense moritur.

Ecchymomata autem illa à causa interna non sunt valde familiaria, uti nota sunt quæ à causis externis, contusione aut casu fiunt. Nero Imperator in sui imperii exordio ob hæc Thapsiam magni fecisse perhibetur. Illi quidem, dum noctu incederet incognitus & in multos impetus faceret, non semel facies sugillata cutisque livida facta fuit. Confestim ex Thapsia, thure & cera facto linimento à fœda sugillatione liberatus faciem populo ostendens facinus occultabat. Ecchymomata, transfusiones; melasmata denigrationes Schirrhis affines putat Galenus. Fiunt enim illi affectus sanguine ex ipsis venis effuso, nunc tunicis earum contusis, nunc ipsarum finibus reseratis. Hinc in Ramsæi venis fere nullus sanguis fuit repertus, nuda aqua & serum.

Obser-

Obſervatio Anatomica VII.

IN Anatomia Chriſtophori Richteri, cui Menſe Aprili Anno 1637. præſente paulo ante nominato, & nunquam non ſine honore nominando D.D. Georgio Molthero, & Chirurgo Jo. Henrico Greilachio, aliisq; præfui; notavi ſequentia. Omentum & Meſenterium penitus fere erant abſumpta & corrupta. Lienis quoq; exigua portio aderat, nigra, ſanguinis congelati inſtar. Hepar verò inſolitæ magnitudinis conſpiciebatur, coloris tamē ex parte plumbei & in ſiniſtra parte nigricantis; atq; inſuper aſſatum & torrefactum quaſi. Veſicula bilis continebat nigricantem materiam grumoſam atq; aliquot lapillos lentium quantitate. In abdomine collectam videbamus aquam citrinam; In Pectore vero purulentam, adeo copioſam, ut pulmonum corruptorum & exulceratorum reſiduæ particulæ in pure quaſi natarent. Venæ phrenicæ pure inſtructæ. Cor flaccidum erat. Pericardium autem drachmas tres continebat aquæ ſolitæ. De lapillis in veſicula bilis repertis egi in Manud. Cum pronuper aliquot ab obitu horis cadaver Innocentii X. Pontificis Romani exenteraretur, ut pro more balſamo & aromatibus condiretur, in veſicula fellis duo calculi juglandis magnitudine reperti ſunt. Viſcera ipſa in aqua natabant, pulmo nigris maculis diſtinctus, jecur vitiatum, alter renum ſemiuſtus, Cerebrumq; multa aqua repletum. De puris purgatione Nellanus Clacanus in Curſu medic. pag. 785. Harvejanam ſanguinis circulationem contemnit. Sed tam certum eſt hoc inventum, ut nullam mereantur negantes replicam.

Obſervatio Anatomica VIII.

CUm Nobilis Matrona W. à T. nata S. de S. ob hecticam ab ulcere pulmonum, lienisq; ſcirrho oriundam, anno ætatis 38. moreretur,

atq; cadaveris Anatomen à me peterēt Consanguinei, inter secandum præter alia notatu digna in Corde reperi osiculum, de quo olim Pergamenus Doctor cap.19. lib.6.de U.P.p.583. & c.10.lib.7.de An.Adm. pag.358.

Ipsa defuncta 4. liberorum mater, siccioris fuit constitutionis & calidæ, animi pacati, corporis habitus macilenti, crebris capitis destillationibus obnoxia, alimenti calidioris amica, atque non semel febribus tentata. Ante tria lustra Dei ope à petechiis liberata, hypochondriacas molestias & lienis tensiones non raro postea, & annuatim quasi circa solstitia maximè & Æquinoctia passa est. Suppetias his tulit spuriæ penultimæ costæ in dextro latere à casu ante biennium in Autumno facto, læsio, succedensque tussis vehemens cum catarrhis prolixis, pulmonumque calida intemperie, quæ mala tamen, cum obviam iviſſem appropriatis, remiserunt ad tempus, donec Thermis Wisbadensibus me non suadente adhibitis, catarrhi, tussis, anorexia & hypochondriorum tensiones reverterentur, hecticaque superveniens finem vitæ cum fine anni elapsi imponeret.

Pectus incisum aqua repletum inveni, pulmonesque in sinistro latere fere absumptos. Dextra eorum portio superstes purulenta conspiciebatur. Cor nimia quantitate excedebat, ut tam magnum adstantes summè admirarentur, atque hoc exemplo verum deprehenderetur, Cor magnum esse placidis & timidioribus, uti fortibus & magnanimis, Gloriosissimi Suecorum Regis, aliorumque Heroum exemplo parvum & minus. In Pericardio erant unciæ quinque aquæ, ad cujus aspectum memoriam meam non poteram non excitare ad Simiam Galeni pag.112.l.5. de loc. affect. atque ad illam, quam phthisi mortuam Marpurgi ante annos sedecem dissecui. In phthisicis scil. magna copia aquæ hic se colligit, cum tamen in statu naturali vix drachmam unam aut alteram continere soleat Pericardium. Eximius Bartholinus in hecticis exiguam credit. Contra P. Vascus Castellus nostram observationem confirmans, hanc aquam per æstum febris hecticæ sæpè in tantum adaugeri scribit, ut eâ distentum pericardium totam cavitatem occupet, forsan ob bonorum corporis humorum atque adipis cordis consumptionem, quâ de re musteam vide dissertationem

tionem Sneideri, Professoris Wittebergensis eximii. Ita quoque J.C. Claudinus parcius in sanis, copiosius in ægris illam aquam colligi colligit p. 235. Adipe Cor pœnè erat destitutum, quod ob calorem p. n. nec colligi nec coire ibi poterat, ut olim jam monuit Pergam. p. 56. l. 2. de temp.

Quoad venam cavam, venam arteriosam, aortam, & arteriam venosam, ante Cordis dissectionem nihil notatu dignum occurrebat. Decenter quoque habebant nervuli, vasa coronaria, & lymphatica, à frequenti potu adhuc, serique copia ex parte conspicua. Sinistra auricula major apparebat dextra.

Inciso corde omnibusque particulis ejus examinatis, deprehendimus valvularum semilunarium circumferentiam osseam, quam pro osficulo extraximus. In sinistro ventriculo papillæ carneæ tres eminebant. Septum foveis videbatur instructum, sed non perviis, ut ut sedulus inquisiverim.

Lien erat scyrrhosus, appendice ovum columbinum æquante instructus; hepar è contra magnum & floridum. Ventriculus & Intestina omni ferè humore destituebantur, mesenterium vero atro succo refertum erat. In renibus vesica & utero nil notatu dignum aut singulare observatum est, uti nec in Cerebro.

Osficulum Cordis, ut pauca hac de re proferam, negat *Plempius* partem esse arteriæ aortæ ossefactæ, cum in ipsa substantia Cordis observetur, quandoque unum, quandoque duo, quandoque etiam rudimentum tertii, ut ita firmius aorta nectatur ad Cor. In senioribus hominibus observari dicto loco duriusculam substantiam & veluti neurochondroden. Rolfinccius videtur innuere, valvularum semilunarium circumferentiam cartilagineam & osseam reddi, qualem vidit in vetula sexagenaria; & aliis senibus circa radicem aortæ. In Urbani VIII. Pontif. Rom. sinistro Cordis ventriculo osficulum invenit Trullus. Audiamus Galenum lib. 7. Adm. Anat. cap. 10. pag. 354. Quæ ut retuli, inquit, melius corde animali exempto inspiciuntur, ac magis in animali grandiore. Omnibus similiter enim insunt, cum nulla ob magnitudinem in illis sit differentia, sicut Aristoteles autumat: sed clarior in magnis cordibus est speculatio: quoniam & ipsius os quod magnis inesse animalibus autumat,

atque his non omnibus, etiam aliis omnibus natura concessit, haut tamen os universis exactum, tamen cartilaginem. Sic enim in totum res se habet, in cunctis animantibus, & membranæ quas trisulcas diximus appellari, & arterialium vasorum radix substantiæ duræ omnino appensa est, sed non in omnibus æque duræ, quoniam in minutis leviter cartilaginosa est, in grandioribus exacta cartilago, in valdè grandibus cartilago ossea: & quanto animantis genus corporis mole vastius fuerit, tanto plus osseæ substantiæ cartilago sortita est. Et in maximis, ubi plus osseæ substantiæ gignitur, convenit ipsam tunc appellare non cartilaginem osseam, sed os cartilagineum. Quod enim in minutis animalibus producitur, non cartilaginis adhuc exactæ naturam, sed corporis ex nervo & cartilagine conflati repræsentat. Nullum vero miraculum est in minutis ipsum animantibus consectionum rudes penitus ignorare, cum & in grandioribus frequenter ipsos lateat. At quid dico in grandioribus? Nuper Elephanto maximo Romæ jugulato plerique Medici ad ipsius dissectionem venerant discendi gratiâ, duosne cor haberet vertices an unum, & ventriculosne duos, vel tres. Ego autem ante consectionem asserebam, eandem cordis structuram cum aliis omnibus animalium ex aëre respirantium inventum iri, quæ etiam ipso diviso apparuerunt. Idem os ipsius sine negocio reperi, una cum familiaribus digitos admolitus.

At inexercitati sperantes, id quod in aliis animantibus non apparet, ita in magno se inventuros, ne elephanti quidem Cor os habere putabant, ego autem ostensurus ipsis eram nisi familiares risissēt, quod attonitos illos ac sensus expertos propter loci ignorantiā conspicerent: & cum adhortarentur, ne indicarem subticui: Corde vero à Cæsaris coquis exempto, misi aliquem ex familiaribus in hujusmodi exercitatis, rogatum coquos, ut os ipsius eximi sinerent: atque sic factum est. Servatur idem apud nos etiam hodie, eximiæ adeo magnitudinis, ut ab iis qui intuentur, nullo modo credi queat, tantum os Medicos latuisse. Ita sane inexercitati multa ignorant. In magnis, scribit idem Galenus lib. 6. de U.P. cap. 19. pag. 583. animalibus os cartilaginosum: in parvis vero admodum

νευροχονδρῶδες τὶ σῶμα, hoc est, corpus quoddam ex nervo & cartilagine conflatum, inest, Omne igitur Cor duram quandam eo modo habet substantiam, earundem utilitatum gratiâ, in omnibus animalibus institutam: Quod autem Cor majus ejusmodi substantia duriore eguerit, minimè mirum id videri debet. Nam quod durissimum est tum ad ligamentorum principia tutius colliganda, tum ad totius Cordis firmitatem in corde magno est aptius. Hæc Galenus. Nos nuper in Ursæ majoris corde osticulum quoque invenimus, uti quoque Leo non ita pridē Dresdæ mortuus & dissectus elegans exhibuit. Penes Pharmacopolas, ait Plempius, osticula de Corde Cervi adservantur in usus Medicos: quorum pleraque puto esse ossa hyocidæa: sunt enim illis hæc non dissimilia in figura: & fortassis etiam in facultatibus. *Ast* revera dissimilia sunt quo ad figuram. An facultatibus similia sint equidem nescio.

Osticula de Corde Cervi in gravissimis morbis debellandis mihi præstant certum auxilium, in febr. v. gr. pleurisi & difficultate partus, atque aliis. Non tamen fido, nisi à fidis traditis, vix fido iis, quæ passim prostant, cum non credam tot in orbe occisos esse Cervos per lustrum, quot osticula quotannis Materialistæ soli Francofurtenses accipiunt.

Quoad vasa lymphatica, quorum supra feci mentionem, notandum illorum esse negari non posse, an verò diversa sint à lacteis Asellii, & an liquorem deferant ad Cor pro sanguine diluendo, meritò dubitari posse, quod lacteæ hepaticæ diverso tempore diversum quoque imbibant humorem, & non raro quoque eundem cum lymphaticis exhibeant, quod tacitè forsitan concedere cogitur Cl. Bartholinus, dum scribit in jejunis & longè post pastum apparere vasa lymphatica felicius, quàm alio tempore, & vasa ipsa lactea jam chylum jam serum continere: quò etiam trahere possumus Kohlhansii observationem, quam thesi 59. vacuo ventriculo, nullo nempe præsente chylo notavit satis pulchrè & eruditè ad Doctiss. Dn. Israelis manuductionem.

Altius vero quo ad usum hi Artis nostræ Heroes gradiuntur, atque lympham hanc pro menstruo habent Alcahest Microcosmico. Magis seriò ultimus hac tempestate quod sciam hac de re agit D. Schenkius Jenensis in historia seri sanguinis.

Obſervatio Anatomica IX.

PRæcedentibus annis, 4. Auguſti Illuſtriſſimus quidam Comes, magnæ & præclaræ ſpei Juvenis, variolis correptus ob febris & Dyſenteriæ vehementiam ſeptimo die morbi mortuus eſt.

Diſſecto jecur, lien, pulmones & inteſtina haut ſecus, atque ipſa cutis ſordidiſſimis papulis manantibus ſcatebant, uti in aliis idem Fernelius notarunt atque Pareus: Unde forſan factum, quod in extis Glorioſiſſimi Romanorum Regis talia quidam notantes, dixerint graviſſimis affectibus obnoxium fuiſſe optimum Regem, quos propter ad ſenium non aſpiraſſet.

Si ullius autem morbi ſigna, maximè variolarum & Morbillorum ſigna dubia omnino ſunt & fallacia, ut inter alios bene inculcat Fracaſtorius, cum non facilè dignoſcantur adeſſe, priusquam puſtulæ ipſæ malum prodant. Quamquam etiam à variolis interna viſcera non raro ita afficiantur, tamen apud Athleticum & Sanguineum in viſceribus dictis fomes ſæpe continetur, vitæ brevis, non ſupervenientibus variolis, index: unde fit, ut interna à variolarum virulentia tum facilius tam fœdè corripiantur.

Alvi fluxus ſanguineus aliàs per ſe lethalis eſſe ſolet in Variolis, adeo ut Riverius confiteatur ex omnibus pueris variolis laborantibus unicum evaſiſſe: atque Pachetus tenſionem & meteoriſmum ventris ſignum mortis habeat. Non hoc poſſum profiteri, cum multos liberatos recorder, non tamen ſine magna difficultate, uti in filio meo natu majori expertus ſum.

Cum autem alvi fluxus & meteoriſmi tam ſint lethales & periculoſi, proinde in cura variolarum & morbillorum caute agendum cum purgantibus, ne naturæ motus mutetur, alvive fluxus funeſtus excitetur. Melius & tutius me judice faciunt, qui in principio variolarum ab electivè purgantibus abſtinent, & clyſteres exhibent, atque Præſente indicatione ſanguinem mittunt, ut ſanguinis

guinis ebullitione ita sublatâ, natura felicius expellere heterogenea possit.

Sed & non raro purgantia adhibenda esse in Variolarum curatio & experientia suadent, si enim manifesta repletio sit extra vasa, atque potissimum quidem in regione prima, sine fluxu alvi, nec medicamenta calidiora aut acriora exhibentur, ipsaque constitutio non adeo epidemica, pestilens aut lethalis & funesta sit: non sine ratione tale datur pharmacum; quam ob causam Ranchinus etiam lactantes non raro purgandos statuit.

Plethoræ dum mentionem facio, non possum non detestari opinionem illorum, qui omnem tam ad vasa, quam ad vires negant, atque Venæsectionem penitus damnant. *Helmontius* Nobilissimus passim hoc inculcat, & post hunc aliquo modo *Insignis & Clarissimus Cnōfelius* in curat. febris malign. contra *Corradeum*. Habet vero plures hæc tempestas Corradeos tales Medicos, mendicos totos, nisi strenue purgarent sanguinemque mitterent.

Videas sæpe audaculum medicastrum, qui homini etiam quoad vires & annos seni, emaciato in media bruma, citra ullam indicationem dare catharctica, quæ ἄνω καὶ κάτω crudeliter purgent; alteroque die largiter sanguinem furari, ad Junoniæ avis cantum non erubescent, Verè δέχεται tunc ἐκκακῶ κακὸν.

Dolendum sanè tam nobilem artem fœdari ejusmodi excrementiis myrmillonibus & histrionibus, verendumque ne tota abeat iterum in periculosam & truculentam Empyricam, cum non tantum vulgus & plebs, sed & Magnates sæpe illis impostoribus aures præbeant, imò illos in arte peritis & solidè doctis quandoque anteponant. Deus Bone! quam audacter & impunè illi medicastri occidunt! Non tamen rejicienda in totum purgantia, nec damnanda penitus Venæsectio, sed intempestiva & inconvenientia.

Quam generosum enim remedium sit sanguinem mittere in febribus & inflammationibus, atque variolis notorium est. Imò si Medicus naturæ minister, & natura ipsa non raro sanguinis imminutionem instituit, cur non, si necessitas id efflagitet, naturam imitetur & venæ incisionem suadeat, doctus & peritus Medicus? Cum grano itaque salis sumenda sunt, quæ de Venæsectione & Purgatione proponit

Eximius

Eximius Dn. Cnöfelius, qui nec ipse omnia purgantia damnat, nisi fallat epistola Arcissevii pag. 59. Sic quoque quoad sanguinis missionem debitam non dissentit, uti digito monstravi in mea ad Medicinam manuductione, potius tacite consentit in eam, cum abusus non tollat usum, ab ipsa Magistra Natura seriò & providè inculcatum.

Plethoram enim ad vasa ab ebullitione sanguinis provenientem, Venæsectio, si nihil obstet, feliciter sistet, acquisito nempe spacio. Ita quoque, serum si causa sit fermentationis, Venæ incisio non poterit non prodesse, ut nempe una cum sanguine turgente & calorem suffocante, evacuetur. Macilentos vero excusat calor copiosus pabulum absumens. Unum quoque idemque vas esse potest pro humore debito & naturali, atque p. n. & abundante. Abusum Venæsectionis meritò detestari debet Medicus doctus, usum vero magnifacere, sæpe enim fermentum sanguinis non potest præcaveri, aut postmodum tolli, nisi ebullitio sanguinis sistatur & Venæsectio instituatur; unde in febribus malignis, variolis, morbillis, non quidem ratione malignitatis, sed ob febrem & sanguinis vehementem ebullitionem non raro cum successu sanguis mittitur, ipsa sæpe naturâ viam monstrante. Nec illi qui penitus damnant V.S. longè vivaciores sunt nobis Meridionalibus V.S. assuetis. Quæ omnia tamen sumenda & intelligenda sunt de V.S. secundum rationem instituta & convenienti. Annon pronuper ab inconvenienti & sæpius repetita crudeli sanguinis deprædatione Serenissimum Cardinalem obiisse refert Helmontius, & evincit Plempius? Idem fatum incumbet aliis, si majorem fidem habere pergant agyrtis sangui & argenti fugis, quam cordatis & in arte solidè versatis Archiatris. Sed ad rem nostram.

In variolis sanguinis evacuationem necessariam probat ratio & experientia, tam ob humorum in venis abundantiam deplendam, ut natura exonerata impuritatis colluvie (loquor verbis Bauhini) alacrius expellat reliquias: quam ob febris ardorem atque humorum fervorem & ebullitionem sistendam, temperandam, tollendam: ratione simul habitâ ætatis, temporis, loci, quantitatis & regionis, ipsiusque veneni; ut pulchrè exponit citatus antea Ranchinus & alii.

Hinc probè notandum, si natura ipsa quandoq; neglectum medicinarium illicidio motu critico in Variolis compenset, quod non statim &

tim & temerè ille fluxus sit sistendus. Vocatum se retulit mihi D. D. Pabst, Archiater Dresdensis, Medicus verè πολυμαθὴς, aliquando ad Nobilissimam puellam variolis correptam cum narium hæmorrhagia critica. Ibi Matrem & adstantes seriò ursisse fluxus illius sublationem.

Imò tandem contra ipsius præceptum adhibito magico remedio, frustulo nempe panis cui cum sanguine inscriptum erat *Consummatum est*, inhibitum fuisse, pro armis medicis cum Biarmis veneficiis ita assumptis. Ast quid fit? Cessante illa hæmorrhagia secuti cruenti alvi fluxus, vomitus, mors.

De variolis unum adhuc notandum nimio æstu ægros non semper torquendos esse, ne calor febrilis augeatur, vires dejiciantur, & ipse ægrotans suffocetur: Præsertim si magna jam caliditas (loquor verbis Domini Doctoris Suevi Electoris Saxoniæ Personæ Medici Primarii diss. de Variolis) & valida inflammatio adsit, nec ulla post variolarum vel morbillorum eruptionem sentiatur sublevatio, atque virium exsolutio, atque syncope imminere videatur.

Non possum hic mihi temperare, quin è plurimis duo exempla notatu digna allegem, quorum unum hic, alterum Ratisponæ in nuperis Comitiis, contigit.

Missum erat lectissimum Illustrissimorum juvenum par ex Polonia Viennam, non tam studiorum, quam rituum & morum Germanorum, exercitiorumque equestrium addiscendorum causa. Viennâ Præfectus Ratisponam duxerat ipso ardente Syrio, ubi paulo post adventum natu major variolas accipit, à quibus calidoque ad Itali cujusdam Medicastri rigida monita hypocausto, brevi moritur. Singulis horis data sunt pretiosa alexiteria sudavitq; vehementer, donec animam ipsam emitteret; Sæpe medicus parum doctus multum vero sedulus quam officiosissime occidere potest. Natu minor eodem morbo paulo post corripitur, atq; Dn. D. VVechtleri Medici Cæsarei Cl. Clarissimique Dn. D. Helvigii, meæq; curę cõmittitur. Nos tam vehementi æstu ægrũ non torquendo, alterantibq; febris furorẽ mitigando sanguinis ebullitionem sistendo,

simulque adhibitis bezoarticis non adeo calidis, brevi, Dei ope convalescentem vidimus.

Hic vero Nobilissimæ Viduæ cum quatuor liberi semel correpti variolis essent, gemelli quidem pueri, filiaque natu major meæ curæ commiterentur, altera vero filia certas ob causas alterius ope uteretur: meis sub initium dedi haustum vini passulati à Parente descripti, alterantia post & bezoartica, quibus Dei ope brevi convaluerunt. Quid vero de altera factum? Illa non nisi alexiteriis usa, lectis semper curiose tecta, largis sudoribus enervata, inflammatione & febris ardore auctis, ebullitione sanguinis ingravescente brevi, uti prædixeram, mortua est.

Observatio Anatomica

X.

SOle Cancrum tenente in ipso Plenilunio nascitur Puellus eusarcus, & coloris per universum corpus subrubri, partu autem difficili præcedente.

In Parentibus satis bene valentibus prædominatur plethora, temperiesq; calida & humida, maximè in matre, nondum vicenos annos nata. Pater annorum tum 24. hæreditario vitio, hypochondriorum malis insuper non semel tentatus autem fuit. Recens autem nato puello ante mammæ exhibitionem, ut sordes retentæ abstergerentur, diamygdalatum datum fuit ex ol. amygd. d. & sacharo penid. succedente sic feliciter nigræ & piceæ materiæ excretione. Habuit hinc benè & pancraticè floridus puellus, nutricem nactus boni corporis habitus, ætatis vegetæ, mammarumque non adeo laxarum aut pendularum, sed benè conformatarum; Nec gulosam primiparam etiam. Lac ipsum quidem non adeo recens, sed ultra 20. menses aberat à partu, bonum tamen substantiæ, coloris, saporis, odoris ratione. Cùm autem quotidiè puello bis daretur pulmentum ex lacte, farina & ovo, atque in pulmento aliquid pulveris ex rad. & sem. pœon. cum

Croco

Croco & Sacharo, post pulmentum vero aliquid cérevisiæ instillaretur, & quotidiè post pulmentum balneum aquæ dulcis adhiberetur: die verò decimo nativitatis nutrix & astantes conquererentur de Puelli ventris inflatione, alvi obstructione, cordis palpitationibus, crebris anhelationibus tumoreque sinistri hypochondrii: dedi iterum felici cum successu diamygdalatum, & suasi, ut quotidiè aliquid exhibeatur pulveris Marchionis aucto pondere Margaritarum sine croco; ut pulmentis non addantur ova; ut præbeantur semel in die, & in minori quantitate, quod lactis boni copia adsit & excrementa alvi sint viscida & viridia; ut butyrum recens cum pulmentis detur: ut balneum intermittatur; utque post pulmentum à cerevisia imo omni liquore per horam abstineatur. Mense Augusto melius habuit præterquam quod excrementa nunquam naturalia, semper viridia, tenacia & viscida rejecta fuerint, venterque inflatus manserit; atque circa æquinoctium nephriticos dolores pateretur, cum excretione arenularum. Sole vero Capricornum ingresso, diarrhæa non levis virium dejectionem & atrophiam causabatur, cui (in consilium adhibitis D. D. Petro de Spina, D. D. Metzgero, Collegâ Honoratiss. & aliis Medicis Clarissimis) obviam ivi Syrupo ros. solut. & diasereos causæ removendæ gratiâ, & cor oborantibus. Dejectiones erant viscidæ, nigræ, virides. Lien durus. Venter inflatus & hypochondria tensa. Usurpatis his mediis malum videbatur inducias dare usque ad mensem, uti ad me peregrè profectum scriptum est, Februarium, quo denuo venter magis magisque intumescebat, lienis tumor crescebat atque flatus augebantur. Data sunt enemata ex Juris Gall. ℥iv. cum fl. camom. coct. & colat. cum sach. rubr. ʒij. & ol. amygd. dulc. ʒiij. Internè verò Manna, Syr. ros. solut. diaser. Usurpata sunt quoque externè linimenta varia & inunctiones. Post enemata tumor ventris auctus est, non obstante, quod dejecta fuerit magna copia peccantis materiæ. Quo ad diætam quantitate & qualitate ea fuit emendata, ita quidem ut pulmenta data fuerint in minori quantitate & loco lactis decoctum gall. & carnis bubul. in pulmentis sit, bono cum successu, adhibitum. In Aprili autem me adhuc absente, non tantum tumor abdominis indies auctus est, sed & cachexia totius atque inflatio pedum, manuum & faciei non leviter apparuit, quibus malis averruncandis adhibita varia

sed frustra, & adeo quidem, ut Ascites ingens cum Tympanitide, meo judice, optimum puellum occuparet.

Ad lares itaque relatus dedi 2. Maij Syr. de carth. & Syr. ros. solut. & felici quidem, uti apparebat, cum successu, cum sexies alvum dejecerit, atque multum serosæ materiæ excreverit. Nox tamen secuta inquieta & calor præter naturam auctus. Quinto melius habuit, atque Decimo iterum sumsit Syrupum laxativum, non intermissis roborantibus & aliis necessariis tam externis quam internis. Excreta per alvum & vesicam magna quidem copia aquæ, tumore tamen ventris & atrophia cum succedente pectoris angustia incrementum majus indies sumentibus: ut omnino pro desperato morbus habitus fuerit. Nullas tamen ferias egimus, sed quantum ætas & vires flagitarunt, cottidiè pusioni succurrimus, frustrà tamen & præter successum, cum vigesimo primo Junij naturæ debitum tandem solverit. In examine autem viscerum defuncti hujus puelli per sectionem instituto, sequentia notata sunt: Primò quidem Cutis circa regionem Ventriculi, Umbilici & Inguinum maculis atropurpureis instar ecchymomatum picta erat. Ex abdomine per sectionem Umbilici leviter factam, humores serosi, biliosi, lutescentes, & fœtidi, instar aquæ per canaliculum ductæ, ad tres mensuras prosiliebant. Quibus subductis ℔, & aperto abdomine Omentum penitus putrefactum notabatur; Intestina cum Ventriculo aliquo modo inflata; Pancreas verò ita consumptum, ut ejus nullum ferè vestigium animadvertere liceret. Venæ Mesaraicæ glutinosa materia refertæ. Lien monstrosè tribus appendicibus instructus, nigri coloris, & induratus, sinistroque Reni arctissimè annatus, ut sine sectione digitis avelli non posset. Renes ipsi satis grandes. Hepar sanguineo colore suo amisso, cineritium ferè, & qualis in cocto aliàs observatur, habebat, incisumque copiosum etiam serum, & copiosius quam Lien, stillabat. In Hepate autem & Liene foveæ aquâ plenæ apparebant. Bilis in vesicula aureo colore coruscabat.

Pericar-

Pericardium aquâ, ejusdem cum supra dicta coloris & fœtoris, distentum erat, cui Cor innatabat. Ipsum autem Cor planè exsuccum ne guttulam quidem sanguinis intra se continebat, quod in aliis etiam visceribus observabatur. Nullibi enim sanguis notari poterat, etiam in Venæ Cavæ & Arteriæ Magnæ incisione, sed tantum aqua, loturæ carnis non absimilis. Pulmones flaccidi & ex parte unâ purulenti erant.

Prædixeram non semel talem catastrophen: verebarque ne anguis in herba latitaret. Non defuerunt quidem promissis divites, qui Parentibus levem morbum, facilemque curationem facerent, quod puellus nunquam non cibum avide assumeret & satis hilarem ac liberalem se astantibus exhiberet. Ego tamen, non in primæ concoctionis læsione malum incuneatum, deprehendens, non potui non à prima invasione morbum sonticum & in tantilla ætate curatu difficilimum profiteri.

Faustis quidem natus erat sideribus; crebræ tamen anhelationes, ventris tumor, phlogoses, dejectiones alvi adeo præternaturales, lienisque tumor, à prima nativitate indies magis magisque affligentes, color faciei certus in sanguificatione defectum monstrabant. Clysteribus hæc mala facile averruncari posse, suadebant & jurabant nonnulli. Alii cane pejus & angue fugiendas esse injectiones clamabant, quod visceribus laborantibus suppetias nullas ferre possint. Hic immorari parum, & cui potissimum parti subscribendum sit, ex natura & usu clysterum cum morbi idea collatis, penitius inquirere placet. Clysteres, ut in Arte tyronibus constat, medicamenti genus πολύχρηστον est, quod in extremis sæpe morbis delicatulis etiam & ad alia nauseabundis expetitas suppetias spondet, quoque unico, cæteris vel generosissimis in cassum adhibitis, ægrum tantum non extinctum erigimus sæpè & velut ab inferis revocamus. Ut vel hoc nomine illorum intempestiva, ne quid gravius dicam, verecundia, scutica digna sit, qua ad nomen etiam clysteris expallescunt, & hujus mentione facta, de vita jam actum & conclamatum esse clamitant.

Generosus quidem Helmontius clysteres in jus vocat, diffamat & præter meritum è Medentum schola relegare tentat, tanquam pudendum Medicorum subsidium, remedium homine indignum, intestinis infensum, omnibus exosum & inefficax. Ast æquius de his sentiebat

prisca ætas, majoremque ut merentur, honorem iisdem deferebant olim non modo Ægyptii, sed & Græci atque Arabes, quos Hispani, Galli, Itali, Germani sequuntur. Antiquissimus Medicorum Parens Hippocrates in epidem. ubi longum catalogum ægrotantium enumerat, clysterum & suppositoriorum mentionem facit frequentem. Ægyptiis, Herodoto teste, clysterum usus menstruus erat περὶ φυλάξεως ἕνεκα. Civium suorum ore Mercatus ad omnes morbos extollit clysteres.

Subscribunt Rondeletius, Mercurialis, Primi Rosius, & qui non? Experientia enim nolentibus volentibus confessionem extorquet. Non tamen occupant universalis Medicinæ titulum, non enim perpetuo & omnibus malis, omnive tempore medentur.

Temporibus Medicina valet: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore, vina nocent.

ob quam causam intempestivum clysterum usum exprobrant Tulpius, Heer, Riverius & alii.

Suos itaq; clysteres limites habent & usus particularibus affectibus determinatos, ac præcipuè quidē intestinis infunduntur, ut horum infirmitatibus primariò succurrant, intemperies emendent, segniorem alvum officii sui admoneant, vitiosamque ventris primarumque viarum saburram è corporis culina everrant: quo potissimum nomine veteribus in usum Medicum venere, utebanturque hi solâ mulsâ cum oleo ad alvum emolliendam ut ex Hipp. & Galeno constat. Et hic usus satis notus est.

Majori difficultate premitur alter, an vicinas etiam partes afficiant, iisque in subsidium veniant? Contra negantem quotidiana praxis militat, quæ talibus in casibus ad sacram hanc anchoram securè confugit. Ita in renum & vesicæ calculo clysteribus quid est laudatius? quid ad dolores placandos præsentius? Ita in hystericis affectibus materiam peccantem feliciter educunt, & uterum facilè corrigunt. Nec sine ratione hoc fit. Quod si enim malè affectis intestinis, uterus, renes, vesica in contagium trahuntur, adeoq; propter vicinum malum & ipsa aliquid mali experiri cogantur, quod præter experientiam expressè docet Hippocr. 5. aphor. 58. 7. aphor. 27. quidni iisdem suavi medicamenti virtute delibatis in suavem etiam consensum vocentur. Porro

sicut

ſicut externa fomenta, linimenta, emplaſtra in internorum viſcerum obſtructionibus eximendis, tetris flatibus diſcutiendis, ipſarum partium dyſcraſiis emendandis palmam non raro merentur: ita clyſteres inteſtinis inſinuata, non ſolum grato tepore ſuo vicinis partibus blandiuntur, opitulantur, & robur ſæpe afflant; ſed ad ipſam affectam partem penetrant; non quidem per occulta illa veterum perſpiracula, huc enim confugere opus non eſt, ubi viæ manifeſtæ patent; nec longiori recepto tamen hactenus per hepar & cor itinere, vix enim has per ambages virium jactura caveri poteſt; ſed per lacteos ductus breviſſimâ ex inteſtinis viâ jam ad renes, jam ad uterum, certis ad hunc à natura fabrefactis ductibus vix aſſumpta tranſire poſſint. Ad uterum quidem adhuc ignorantur, niſi cum Clariſſimo Harvejo arterias uterinas allegare placeat. Quicquid ſit, aut non ſunt negandi, aut porta ſatis digna alia monſtranda eſt, cujus ope medicamenta hyſtericis aut in partu laborantibus vix infuſa utero ſtatim communicantur, viribus, colore, ſubſtantia integra. Hærebit, aliam qui quæret, ſcio. Crocum exhibuere Heurnius & Heer: & utraque mater fœtum enixa croco tinctum penitus, & altera quidem ab exhibitione dimidia quadrante citius. Bertrandus Rozius apud Saler. c. 129. cum ſemine vim & virtutem pharmaci transfudit in uxorem. Idem recordor Nobili cuidam mihi amiciſſimo Aureliæ in Gallia contigiſſe, qui ſcorto poſt horam juſculum ferenti inter meretricios amplexus per coitum aſſumpti pharmaci efficaciam inſinuavit, ut ἄνω καὶ κάτω vehementer decies purgaretur. Anne & hic accuſandi prædicti ductus? Sed ad rem!

Id de clyſteribus exponendum, quomodo iis in longè remotiora viſcera jus conceſſum ſit, ut nempe pleuriticis, epilepticis, apoplecticis, paralyticis ſuppetias ferant; circa quam rem Autores hæſitare videntur. Galeno tamen teſte, & ratione ipſa id inculcante, quicquid agunt clyſteres hoc in paſſu, id revellendo præſtant.

Ex quibus dictis patet, primum uſum, quoad demortuum Puellum, exiguum imo nullum eſſe potuiſſe, cum vitium primarium non in ventriculo aut inteſtinis latuerit, nec alvus indiga fuerit, ut uno vel pluribus clyſteribus quotidiè ſtimularetur, cum ſuapte & ſponte indies plus juſto reſponderet.

Nec

Nec secundus etiam aut tertius scopus clysterum quotidianum usum & frequentem reiterationem indicabant. Etsi enim hypochondria & in his hospitantia viscera Lien, hepar malè affecta sæpè non exiguam à clysteribus levamen sentiant: hoc tamen non nisi in eorundem intemperiebus aut obstructionibus ratione causæ antecedentis sperandum est; at in habituali & nativa viscerum corruptione qualem signa manifestissimè præsagiebant, tantum abest, ut quid laude dignum præstent clysteres, quin potius malum exasperent, vires perpetuo & inani stimulo magis magisque prosternant, inflationes augeant, & mortem forte ante diem accersant. Quod in præsenti casu evenisse jurarunt adstantes mulierculæ, quæ ad quemlibet clysterem injectum (qui tamen omnes præter unicum & primum quidem, statim ut injecti erant, per inferiorem gutturem, (ut amicus loquitur,) redierunt, abdomen sensibiliter in majorem molem intumuisse, respirandi difficultatem excrevisse, conquerebantur.

Sed revellere, inquis, materiam peccantem potuisse, adeoque maturo consilio in usum adductos fuisse. Ausculta ergo, quid valeant revellentia. Revellentium medicamentorum est, materiam non illapsam, sed influentem & ad partem tendentem; non extra vasa, sed in vasis fluctuantem; non à parte recipiente, sed mandante retrahere. Et hæc discere potuisses ex Sennerti Institutionibus, quæ in omnium etiam tyronum manibus sunt. Ut autem quæ in pectore hærent, ita facile per alvum evacuari non possunt, ita nec, quæ in abdomen effusa sunt; sed ex 7. aphor. 55. quibus hepar refertum aqua erumpit in omentum, his venter aqua repletur & moriuntur. Si cubi tamen interdum evacuatio talis quid levaminis affert, sive naturâ, sive arte fiat, salvis visceribus fiat, & juxta Hippocr. in ἐυσωλάγχνοις: at ἐυσωλαγχνίαν semper negavi, mecumque abdominis à nativitate intumescentia, hypochondriorum præsertim sinistri inflatio, color faciei cereus, atque nimis crebræ anhelationes. Parum itaque & hac ratione spei in clysteribus positum fuit, licet vel vicesies, ut quidam Thrasonicè satis loquebatur, paucos intra dies injecti fuissent: sed abdomine ob collectam aquam & flatus copiosos, rupturam jam minante æger tandem viribus exhaustis inter lusus & jocos adstantium animulam exhalavit.

Unde

Unde aquarum hæc colluvies in tenella hac ætate primam scaturiginem sumserit, multos habuit sollicitos. Ast illam facilè invenit, qui internorum viscerum sive œconomiæ naturalis structuram & faciem examinat. Meo quidem judicio collectionis hujus culpa, si non omnis certè potissima in Lienis à primo ortu vitiosam dispositionem redundat. Lien enim sanguinis partem melancholicam à Corde per Cœliacam recipit, innatâ vi fermentat & defœcat. Hoc ubi præstitit, sanguinem depuratum, quantum ad sui nutritionem requirit, apponit, & quod relinquitur sanguinis purioris mediante ramo splenico in portam & jecur, indeque per venarum anastomoses in cavam, tandemque in Cor reducit, ut Spiritu & calore denuo instructus, omnibusque excrementis exutus in aortam pro partium nutritione propellatur. Excrementa vero nunc ad mesaraicas, nunc ad hæmorrhoidas per alvum, nunc ad renes per urinam, nunc ad alias naturæ lege ordinatas vias promovet.

Quando vero Lien officio suo malè, ut in nostro casu, fungitur, humor ille à sanguine negligenter separatus, in corpore cumulatur & malorum lernam introducit. Et quidem in propria Lienis substantia restagnans obstructiones parit, tumores, nec raro, partibus tenuioribus absumtis, scirrhum. Quod si insuper suo non contentus hospitio, per ramum splenicum una cum sanguine revertente ad hepar ruat, malum malo cumulat, hepatis crasin frangit, calorem debilitat, unde lienis tandem culpa & hepar vapulat, obstructionem & intemperiem vicini negligentia contrahit, suoque satis officio facere nequit circa sanguificationem, sive sanguinem ulterius non satis excoquendo, sive excrementa debito modo & mensura non separando: sive lympham vasis obstructis in venas cogente. Aquosus itaque, serosus, frigidus sanguis cuditur, cui ferendo cum hepar non sit, in cavitatem destillat vel viscus disrumpendo aut erodendo, vel per membranarum poros transudando. Ita extravasatus putrescit & fœtorem induit. Reliquus etiam sanguis aqua adulteratus in partium nutrimentum non omnis cedere potest: aquosus enim non nutrit, hinc quod boni restat sanguinis quotidie, imò momentaneè exugunt par-

tes, eo gaudent, vigentque: at ubi bono jam absumto, crudus, aquosus succedit, cessat nutritio, partes decrescunt, contabescunt: hocque eò citius fit, quando lienteria se associat, & cibus crudus vix assumtus statim per alvum redditur, quæ præsenti ægro contigisse vidimus, non solùm ob retentricem debilem, sed & ob mesaraicarum obstructionem, quæ vicinis lacteis compressis viam transituro chylo intercludebant: ubi tamen ipsas etiam lacteas ab omni obstructione non facile absolverim.

Aquæ foveæ in hepate & liene apparebant, in illo tamen copiosiores, forte quod à Liene expeditius & facilius serosus humor mediante rene annexo (uterque enim ren satis grandis ad ultimum vitæ usque halitum officium suum debitè faciebat, urina quotidiè ad votum fluente) subducebatur. Hepatis color pallidus, cineritius sanguinis defectum accusabat. Inflatio ventriculi & intestinorum cruditatem coctionis sequebantur. Pancreas ad putredinem natura facile, non potuit non corrumpi, putridæ paludi innatans ut & omentum. Pericardium aqua turgidum inventum, quod in dissectis phthisicorum corporibus non infrequens ad tres sæpe uncias. Nec ipsi pulmones satis sibi vigilare potuerunt, quin à transmissis acribus, fœtidis humoribus labem & corruptionem tandem contraxerint: Sed in hac totius corporis anatomiæ pertractatione aqua pro sanguine, excrementum pro nutrimento surrogatum est, quod admirationem vix meretur. Corde autem exucco & sine sanguine existente, quî vita superesse potuerit, miratu dignius est. Si conjecturæ locus est, crediderim postremis diebus Cor ex vaporibus partim à chylo, partim à medicamentis confortantib. tum per lacteos ductus thoracicos, tum per peculiarem meatum œsophago implantatum communicatis, refectionem percepisse. Talis autem refectio cum perpetua esse non posset, æger tandem hic veluti lipothymia (qua durante morbo sæpe tentabatur) sine ulla graviori commotione, nutrimento partium subtracto, instar lampadis trepidantis, expiravit. Ita sentio de hoc casu, mecumq; idem D. Metzgerus, Collega & Parastata meus fidelissimus.

FINIS.